

POLDI

C

DE ANIMI FACULTATIBUS ATQUE OPERATIONIBUS THESES

QUAS

FAUSTISSIMA AUSPICIA PRAEBENTE

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

FRANCISCO PETTORELLI

LALLATTA

Ss. D. NOSTRI PRAELAT. DOMEST.

ET PONTIF. SOLIO ASSISTENT.

NEC NON

PARMAE EPISCOPO ET COMITE

PUBLICE PROPUGNANDAS EXHIBET

IOSEPHUS POLDI

PARMENSIS

IN SEMINARIO EPISCOPALI

CONVICTOR.

PARMAE
EX REGIO TYPOGRAPHEO
1784

Μάλιστα τὴν σεαυτοῦ φρόνησιν ἄσκει. μέγιστον γὰρ ἐν ἐλαχίστῳ νοῦς ἀγαθὸς ἐν ἀνθρώπου σώματι.

Prae ceteris omnibus tui ipsius excole intelligentiam. Res enim maxima in minima est in corpore humano mens bona.

Isocrates Orat. paraenet. ad Demonicum.

ILLUSTRISS.ME AC REVERENDISS.ME

PRAESUL

Multa profecto sunt, quae pavidam et haesitantem philosophiam meam ad Te adeundum impulerunt, ut Te patrono, atque auspice in hanc publicam lucem ac celebritatem hodie proveheretur. Principio

quidem illa ipsa, quam eheu nimis experior ingenii viriumque mearum tenuitas non expetebat solum, sed quodammodo flagitabat, ut nonnisi summo eoque praesentissimo patrocinio suffulta ac sustentata ex pulvere et umbra in apertam plenamque periculosae aleae dimicationem veniret. At vero nullum mihi opportunius atque validius obtingere poterat patrocinium, quam Tuum, ILLUSTRISSIME, ac REVERENDISSIME PRAESUL, cuius excellens dignitas cum singulari clementia, ac benignitate coniuncta ad timorem mihi ex animo depellendum, atque ad spem erigendam mirum in modum valet. Illud etiam existimabam hoc studiorum meorum specimen omnibus audientibus facile esse satisfacturum, si uni Tibi satisfacere posset, cuius sapientiam ad omnes pii sanctique regiminis fructus mature eliciendos comparatam universi admirantur, in quo singularem virtutum, ut ita dicam, concentum ita suspiciunt, ut splendor dignitatis cum eximia pietate, religione, vigilantia, cum hilaritate gravitas, humanitas cum

altitudine et gloria quasi cum acutis gravia, ut fieri solet in fidibus, exquisitissima suavissimaque proportione consentiant. Cogitavi denique, cogitoque in praesenti multo magis, ad Te quasi tuo iure studia haec mea metaphysica pertinere, qui et his magnopere delectaris, et ea cum ceteris artibus ac disciplinis mirifice probas ac foves in tota hac sacra florentissima tua Ditione, sed praesertim in hocce Seminario tuo, quod traditae tibi Provinciae sanctissimae partem certe non ultimam miro patrocinio benevolentiaque prosequeris, ibique peculiari quodam modo Te praebes erga nos Pastorem, Patronum, Parentem.

Iam itaque in ipso primo aditu vestibuloque dimicationis hodiernae meae non minus Te de praesidio mihi praestando rogare, quam de iam praestito gratias agere mihi videor, deque beneficio amplissimo gloriari non tanquam accipiendo, sed tanquam accepto. Verum ne longius excurram, quam temporis et loci ratio postulat, etsi probe sentio quid ferre recu-

sent; quid valeant humeri, *finem dicendi facio, tibique,* ANTISTES *Optime, ita me totum committo, inque sinu tuo philosophiam colloco meam, ut auspiciis tuis tribuendum existimes, si res bene mihi cesserit, sicuti spero, sin male, quod Superi avertant, mearum virium infirmitati veniam dandam esse arbitreris.*



PROEMIUM.

I » Hanc habet vim praeceptum Apollinis, inquiebat » olim Cicero (*a*), quo monet ut se quisque noscat, » et cum *nosce te* dicit, hoc dicit: nosce animum tuum... » Sapientia nos cum ceteras res omnes, tum, quod est » difficillimum, docuit ut nosmetipsos nosceremus, cuius » praecepti tanta vis; tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo tribueretur; nam qui » se ipsum norit, primum aliquid sentiet se habere divinum ». Qui ergo probe se noverit, is dicitur sui sciens, eamque scientiam tenet, quae non evolat, neque foras excurrit, sed insidet intra nos, quae patienter omnia, et sola reconditiora mentis humanae phoenomena meditatur: quae cogitationum nostrarum originem, progressionem, finem persequitur. Ornari res ipsa negat, tantaeque praestantiae est, ut sola se se commendet mirum in modum, longeque dignissima putetur sparta haec, quae omni mentis ardore diligenter et pro viribus a nobis excolatur.

II Quo tamen clarior emergat ac liqueat facultatum et actuum notio, quos elicit Intellectus, recentiores Metaphysici e re crediderunt hominem dissolvere, suasque quasi in partes secare ac partiri, ut eius *mechanismum*, vel artificium explorarent, neque ius ei fecere sensus suos explicandi nisi gradatim. Homo propter hanc partium secretionem ita simplex effectus ab ipsis consideratur veluti Statua, ut aliqui loquuntur, ei non multum absimilis, quam ex luto finxit Prometheus, qui Minerva duce, rapto caelesti igne luteam statuam vivam effecit. Philosophia caelestis ille ignis est, qui machinam huiusmodi format, figurat, colorat, animat. Fiunt haec per gradus; inque statuam immittitur, Spiraculum vitae,

a

(a) *I de Legib.*

aperiturque, et panditur machina ad bonum ac voluptatem existendi: uno verbo philosophica statua respirat et excitatur ad cognoscendum.

III Celeberrimus Diderotius (*a*) optime de Philosophia meritus (quod melius tarda et aequior posteritas agnoscet fatebiturque) primus videtur extitisse, qui praesignificaverit hominibus, cupere se ut Metaphysicae Prometheus et haberetur, et nominaretur. Dolendum sane est virum huncce tantum, qui id cogitare potuit, atque proponere, non etiam quod cogitarat, proposueratque exequi aut potuisse, aut voluisse. An non erat ille pictor cum Corrigiensi nostro in suo genere comparandus?

IV Buffonius (*b*) vero, et Condillacus (*c*), et Bonnetus (*d*) suam quisque statuam confecere: triplex opus politissima arte elaboratum atque perfectum; quod mature cognoscendum est, ut ne sine Ariadnae filo iter capessamus per vastas ac lubricas Psychologiae ambages atque anfractus. Dissimiles inter se sunt huiusmodi statuae; suus enim artifici cuique modus est, et Pigalius bustum quidem Alexandri conficiet, non idcirco tamen Phidias erit: et Phaedras Racinii, Euripidisque tanquam archetypos venerabimur semper, ac semper exempli imitationem pertimescemus. Nihilo tamen secius tria haec Philosophiae lumina in id amice constanterque conspirant, ut fateantur, cognitiones nostras originem ducere a sensibus. Veritatem hanc utilissimam odoratus est Aristoteles, sed vir summus satis habuit problematis solutionem indicare, quin participes nos faceret monitosque de methodo seu via quam tenuit, ut problema istuc enuclearetur in bono aliquo lumine collocatum.

V Lockius (*e*) qui tam sapienter de anima scripsit, extremitatem unam catenae, qua ideae nostrae consociantur, arripuit, et comprobavit, per sensus solos posse lu-

---

(a) Lettre sur les sourds et muets.

(b) *Buffon* Hist. Natur. *T. VIII.*

(c) *Condillac* Traité des Sensations.

(d) *Bonnet* Essai Analytique sur les facultés de l'ame.

(e) *Locke* Essai Philosophique concernant l'entendement humain.

cem cognitionum in abditum et obscurum, ut ita dicam, Intellectus cubiculum penetrare atque ingredi; sed voluit facultates animorum esse qualitates insitas, insculptas, innatas; et Philosophus iste, cui tantopere Scepticismus obiicitur, deceptus est, si anonymum haud indoctum audiamus, ob id ipsum, quod satis pro eo, ac debuerat, non dubitavit.

VI Condillacus itaque ostendit facultates humani nostri intellectus a sensationibus oriri, propositaque idea tam simplici suam, et ipse statuam coagmentavit, explicavitque totius Intelligentiae naturam et vim. Etsi autem Carolus Bonnetus post Condillacum adlaboraverit, nihilominus quum statua Bonnetiana perfecta non sit iuxta ac exemplar, hanc ob rem suis ponderibus eam examinabimus post Buffonianam; hic enim non chronologicus idearum ordo, sed philosophicus attenditur.

VII Buffonius itaque cum de Homine disserit in historia sua naturali, analysim sensationum facit, quae tota quanta est variis hypothesibus nititur. Ponit igitur hominem recens creatum oculos cum primum aperit, tollitque in caelum, illico admirari caeruleum quasi colorem, et solem, et astra, aeternumque lucentes faces; cumque ad terram se demittit, herbescentem ibi viriditatem, et flores, et pellucidas perennitates aquarum cernere, et prae admiratione, et gaudio unde perfunditur, quasi a se ipso abalienari; dein apposite de totius universi mundi structura, forma, specie cogitare, et eloqui. At vero omnia haec iudicio illorum qui res accurate perpendunt repetenda sunt ex habitu, et consuetudine agendi, non ex perfecta aliqua idearum analysi, seu distributione atque explicatione naturae illustri, et numeris omnibus absoluta. Pingit haec et alia Buffonius. Admirari et laudare ne desinas elegantiam et pulcritudinem styli, quo nihil excogitari suavius potest, nihilque floridius. Opus est dignum celebri ipso investigatore naturae Miltono: est metaphysica tabula nobili et exquisito Raphaëlis Urbinatis pennicillo depicta. Haec a nitore et styli suavitate. Reliqua Philosophica pars non iisdem ornanda lau-

dibus est, dolendumque, radiantem hunc adparatum architecturae, peristylium hoc, hasce Corinthii ordinis columnas nec sibi nec aliis prodesse, neque conducere ad aliud, quam ad commendandum aedificium fatiscens sibique male cohaerens.

VIII Condillacus et Bonnetus, qui suas et ipsi statuas confecere, ut diximus, ductore Buffonio, in hujus errata rapti non sunt, et statuam animatam excogitarunt, cui fas fuerit modo unum, modo alium, gradatim sensum addere vel demere, et congrua iis atque opportuniora experimenta adfingere et distribuere in singulos. Orditur Condillacus ab odoratu, et statuam suam persequitur animatque, et vivam facit exercitatamque in omnibus sensibus usque ad statum perfectum. Bonnetus vero eam solo instructam olfactu considerat deseritque. Ambo diversas in ea sensationes ob diversa proposita obiecta seorsum excitant, ac deinceps eius facultates singulas explicant et naturam.

IX Etsi vehementer suspicio, et colo Carolum Bonnetum, qui post Lockium unus est ex viris summis, qui subtilius et curatius de anima cogitarint, et scripserint, adhuc tamen quaedam in illo cum philosophis viris etiam atque etiam desidero. Operae pretium erat ut novus iste Prometheus non unum, sed omnes identidem sensus explicasset. Neque enim quod ille non praestitit, id ab alio apte absoluteque praestari posse sperandum est. Quisnam artifex hoc sibi sumat ut bustum a Phidia inchoatum scalpro infeliciore perficiat? Praeterea longe nimis excurrit, et vagatur in immenso idearum campo, in brutorum anima vestiganda, in ardua et perobscura libertatis controversia, in legum spiritu, ac vi, et id genus aliis. Principio nihil sibi aliud proposuerat Bonnetus praeter analysim statuae suae: cur, quaeso, in eius libro duos absolutissimos tractatus cernimus, quorum ille brevior est qui analysim hanc attingit, de qua loquimur? Inter philosophicas ideas, quo collineat totum hoc opus, nonnullae occurrunt omnino singulares et propriae Bonnetianae nemini ad hanc diem cognitae aut proba-

tae. Quod dixere Chaos etc.. Ex hoc numero est Physica illa visionum propheticarum explicatio, quae placere cordato homini non potest? " Facile intelligimus, ait " ille (*a*), potuisse Deum iam ante in prophetarum cerebro " praeparare, et insculpere physicas causas ad excitandum " in tempore sensiles fibras secundum ordinem futuro- " rum eventuum, qui Prophetarum spiritui offerebantur " ad divinandum ... ". En Prophetae sine miraculo: quo nihil a veritate magis abhorrens, et alienum. Quod autem potissimum in analysi Bonnetiana displicet est eius ordo nimis geometricus, in quem errorem labi difficilius erat alioqui, quam sibi ab eo cavere; et hanc ob rem perpauci sunt qui librum hunc legant, sicuti paucissimos Philosophos invenies, qui valeant hac methodo et ratione uti scribendo.

X Quid porro de analysi Condillaciana dicemus? Etsi opus istuc inter meliora spiritus philosophici monumenta est adnumerandum, et ista statua perfectissima omnium haberi debet, quae ad hanc diem ab humano prodierit ingenio et artificio; nihilo tamen secius in ea quoque sunt sua menda, et quidem non levia. Generatim loquendo Auctor clarissimus sibi non constat, nec lineam tenet, sed ab analytico filo devius aberrat aliquando, videturque saltuatim obambulare. Eius enim cogitationes ideaeque non sunt semper aptae inter se, atque ita connexae cohaerentesque, ut magnae ibi lacunae non sint. Haud raro controversias gravissimas praetergreditur, quin aliquid degustet de illis, etsi videatur ne tantillum quidem dubitare de ipsarum gravitate, et quantum ad absolutionem cursumque statuae suae conducere queant. Praeterea vel in eo mendum deprehendimus, quod homo consideratur non qualis natura formatus est, sed qualis videretur formandus; eaque re laudatissimus hic inventor, et quasi architectus necesse habet in hypotheses ire minus exactas, et statuae suae ad unum vel alterum sensum coërcitae illud ipsum adscribere, quod omnium ope

---

(a) Essai Analyt. *ch.* 23, §. 678.

ac praesidio in nobis ipsis quotidie factum experimur. Numquid humani sensus operantur singuli alius ex alio? Ecquis novit aut coniectura aliqua credidit inveniri posse animantem ullam in rerum natura vel expertem rationis, vel compotem, quae sit uno solo actuoso sensu contenta? Naturae opificium in progignendis animi facultatibus atque ideis postulat supparem, et, ut ita dicam, coaevam conspirationem, coniunctionemque sensuum, qui nati facti sunt ad agendum. Credibile ne est quod aiunt plures ex recentioribus Metaphysicis fuisse nos a communi parente natura initio expositos tot tamque crassis erroribus sic ut obiecta duplicata videremus, planum quod est montosum, praegrande quod est exiguum? Verum quidem est nos paullatim videre didicisse, uti didicimus legere, scribere, cetera. Sed haec a natura subsidia ita accepimus, ut communi atque concordi sensuum exercitatione non discurrendum, errandumque quotidie nobis esset, et dediscendum hodie, quod didicimus heri.

XI Perspici etiam facile potest ab omnibus quantum ars differat a natura, si ad hoc unum mentis aciem intendamus. Statua priusquam homo sit, longo diuturnoque tempore indiget, exquisitissimam facultatum iam in anima vigentium exercitationem requirit, transit per innumeros errorum anfractus, et scopulos, haeret, fluctuat, plurimaque inter ambigua vel falsa iudicia diu iactatur. Ex diverso animantia multa, in quibus physica et naturalis actio facilius ac citius explicatur, quanto etiam facilius ac citius iustas ideas acquirunt rerum earum, quibus indigere se norunt?

XII Atque hoc loco fas est animadvertere quemadmodum Anatomia, quae *comparata* dicitur, plurimum profuit ad illustrandam Anatomen corporis humani, sic, et multo forsan magis, *comparatam* Psychologiam prodesse quam maxime ad illustrandam magis magisque Psychologiam hominis (loquor de facultatibus iis, quae tum in homine, tum in animantibus ceteris eosdem effectus gignunt, quamquam a diverso principio diversaque effectrice caussa producantur, ac pendeant).

XIII Indubitatum est *Moralis* hominis conformationem esse totum quiddam mixtum conflatumque ex natura animi, ex natura sensuum, ex indigentia, ex circumstantiis. Verum quidem est, haec omnia, et positiones hasce omnes simul iunctas multum praecipue conducere posse, atque adeo debere ad conficiendos tractatus tum de humano intellectu, tum et aeque fructuose de illius *extensione*; sed possunt etiam attendi, aliqua saltem ex parte, ut uberior, ac felicior hinc emergat *sensationum* disquisitio.

XIV *Comparata* Psychologia, de qua loquor, eo praecipue collineat plurimumque proficit, ut ostendamus unde nam oriatur vel prompta et velox, vel tardior operationum mentis explicatio sic ut nonnulla animalia vix dum nata ideas acquirant bene multas; alia non nisi serius. Ex quo planum fiet celeritatem in aliquibus ideis efformandis oriri ex eo quod vim exerant suam duo potius aliqui sensus quam alii duo diversi.

XV Sed antequam finem institutis animadversionibus faciam, illud mature praemoneo, Bonnetum aperte ab illa methodo dissentire, quam nuper indicavimus. Non id propositum nobis est, ait ille (*a*), ut puerulorum operationes et motus investigemus quos persequi, prehendere, tenere difficillimum est: vix dum enim nati sunt, eorum sensus uno eodemque tempore aperiuntur et patent ad innumeras diversasque imagines ac species excipiendas. Hinc et diversorum motuum series existat necessum est, idearumque concursio, quas consectari et arripere nobis non licet.

XVI At Bonneto reponi facile potest, etiam in puerulis si quidem velimus hominem qualis re ac natura est investigare, haberi atque emergere posse congruentes illas abstractiones, quae cum ipso naturae artificio perbelle concilientur. Ecquis ignorat a Physicis considerari ex. gr. corporum pondus quin ulla habeatur ipsorum figurae, aliarumque proprietatum ratio? Id quidem evenit

(a) Essai Analyt. *ch.* 2 §. 11.

propterea quod hae nullo pacto inter se se aliae ab aliis dependent: quod nequit dici de sensationibus diversis, ex quarum coacervatione efformat perficitque natura hominem *Moralem*. Ceterum statua Bonnetiana videri potest inutile quoddam additamentum ad ipsius Bonneti opus de humana intelligentia, ut haud aegre patebit opus istuc ipsum intima cogitatione perscrutanti.

XVII Mirabitur itaque nemo si nos huiusmodi statuariam methodum seu potius poëticam minime adoptemus. Analysim consectabimur tamen quoad eius fieri poterit certa ab incertis segregando, communia a singularibus, a simplicibus composita, vitandoque ex una parte genus illud ieiunum et aridum principiorum, quae nuda sunt et solitaria, ac parte ex altera inanem controversiarum luxum, otiosasque meditationes; enixe curabimus ut prono alveo fluant omnia ex principiis firmis ac solidis diligenter enucleatis, colligatisque ordinatim inter se se, et occupabimur toti in iis praecipue rebus evolvendis, quas utiliores credimus, ac prae ceteris necessarias. Primum itaque considerabimus originem, evolutionem, incrementaque virium, quibus humanus pollet *Intellectus*: deinde quonam modo *Voluntas* eliciat, suasque et ipsa explicet operationes.



DE ANIMI FACULTATIBUS, ATQUE OPERATIONIBUS.

I

Omnis humana cognitio primam originem a sensibus ducit, per quos nervorum extremitates late longe que diffusae excutiuntur agitanturque ab obiectorum impulsu, quae sunt extra nos posita. Atque isthaec commotio nervorum via sola est, qua rerum externarum imagines in animum insinuantur, si fidem doctioribus Physiologis habemus, qui sedem adspectus, auditus, odoratus, ceterorumque sensuum in optico nervo, in acustico, in olfactorio etc. collocaverunt.

I I

Commoto excitatoque nervo quiescit adhuc Intellectus donec appulsus et impressio ab obiectis in extremitate nervi concitata rapide diffundatur, perque totam eiusdem nervi longitudinem propagetur usque ad alteram in cerebro extremitatem. Atque id seu quia hunc transitum efficiat coniungatque caecum quoddam spirabile fluidum mobilissimum, penetrans ac serpens per nervos, ut crediderunt antiqui, et ex Neotericis non pauci: seu quia, ut mavult Hartleyus, nervi intenti sint chordarum instar elasticarum, quae una in extremitate percussae motum concipiunt vibratorium, et oscillationes suas ad aliam extremitatem usque perducunt: sive quod accidat utrumque, sicuti placuit Newtono; sive tandem quia motus et impulsus externus totam afficiat nervi substantiam vi latentis cuiusdam et incognitae mutationis, ut alii crediderunt.

I I I

Quaenam autem sit certa illa ac definita cerebri pars, ad quam eae internae omnes nervorum extremitates referuntur et pergunt, quaeque societatem corporis et animi efficit, non una neque concors est Philosophorum sententia. Cartesius partem illam vult esse *glandulam pinealem*, Graecis *χωνάριον*, vel *σῶμα χωνόειδες* dictam.

Villisio *corpora striata* magis placuerunt. Lancisius, et la Peyronnie elegerunt *corpus callosum*. Sunt tamen experimenta, et observationes, quibus constat cum harum partium vulneribus, et destructione vixisse animalia vel foetus. Hinc potius videtur esse sedes principii sentientis, quodcumque sit, ubi est initium alicuius nervi, ita ut omnium nervorum iunctae primae origines efficiant verum sensorium commune. Sed frustra sedem animae ad aliquem locum singularem determinare tentamus: videmus tantum medullam cerebri continuatam in nervos, quae modo inexplicabili sensationem in mente gignit.

I V

Cum primum affectio nervi permeavit ad cerebri medullam, intellectui statim offert se se species aliqua *sensibilis*, quae reapse ab illo ultimo cerebri motu discriminatur atque distinguitur. Multiplices autem ac variae deprehenduntur eiusmodi imagines in animo enatae: quae varietas imaginum vel oritur ex diversis impressionis gradibus, qui in eadem fibra viribus haud aequalibus fiunt, vel ab ipsa multiplici fibrarum nervosarum strue, quae pro diversa harum natura diversas cient ac pingunt imagines in animis: quae quidem postrema sententia, in quam ierunt Hallerus, ac Bonnetus non satis firmis rationibus niti videtur.

V

Qualitatum sensibilium haud leve est discrimen, quod quaedam unico tantum sensu attingantur; aliae vero pluribus. Prioris generis sunt *colores*, *soni*, *sapores*, *odores*, *calor* et *frigus*. Posterioris generis sunt *duratio*, *numerus*, *extensio*, *figura*, *motus* et *quies*; quae pluribus percipi possunt sensibus: immo harum quaedam interno etiam sensu percipiuntur. Prioris generis qualitates, proprie dicerentur *sensiles*; posterioris, potius *affectiones speciem sensilem comitantes*. Harum ideas, ut et relationum, quas ad se invicem habent duce natura, rerum externarum repraesentationes existimamus: unde et ideis intellectualibus annumerantur; quod in iis rationis vires summo cum fructu et voluptate exerceantur.

V I

Idearum sensilium quaedam sunt gratae, quaedam molestae, aliae mediae, sive indifferentes: quarundam specierum remissiores sunt gratae, intensiores molestae, ut fuit etiam ab Hutchesonio animadversum. Hae vero sensationes neque res externas, neque ipsos in corpore nostro motus excitatos depingunt, aut repraesentant: sine tamen colorum sensu, aut qualitate aliqua tactili, nos prorsus laterent omnia corpora, eorumque situs, figurae, motus et magnitudines. Sunt autem reliquae species sensiles proprie dictae, signa quaedam, aut notae earum rerum aut motuum, quae corpus nostrum laedere possunt aut iuvare: quae laedunt ut declinemus, molesto sensu monemur; grato vero excitamur ad ea exquirenda quae iuvare possunt.

V I I

Idearum sensationes comitantium, quaedam omnem omnino mentis perceptionem comitantur, aut comitari possunt. Quales sunt temporis et numeri notiones; quaevis enim mentis perceptio, et actio, cuius ipsa mens est conscia, temporis alicuius notionem secum trahit: harum plures certa serie succedentes, menti etiam longius quoddam temporis spatium suggerunt. Numerari itidem possunt non solum res sensu externo perceptae; verum et quae sensu interno, aut reflexione, quam dicunt, percipiuntur.

V I I I

Duobus sensibus, visu nempe et tactu, percipitur Extensio, Figura, Motus et Quies. Has corporum affectiones primarias non male vocant quidam scriptores: quia eas, natura duce, credimus rebus ipsis inesse quales cernuntur; docentque Physici, ex earundem aliqua pendere vim omnem, qua corpora ideas sensiles in nobis excitant. At sensiles qualitates dicunt affectiones aut qualitates tantum secundarias; quibus nihil est in rebus externis simile; licet habeant hae res, ex stabili naturae lege, vim quandam eas in nobis ideas excitandi, quam a qualitatibus suis primariis sortiuntur.

I X

Haec prima qualitatum primariarum perceptio, sive mentis actio quaedam, sive passio dicatur; non alia similitudinis, aut convenientiae inter eiusmodi ideas et res ipsas, caussa assignari posse videtur, quam ipse Deus, qui certa naturae lege hoc efficit, ut notiones, quae rebus praesentibus excitantur, sint ipsis similes; aut saltem earum habitudines, si non veras quantitates, depingant.

X

Species gustu, odoratu et tactu perceptae ad corporis partes aliquas proxime referuntur; indicantque ea quae corpori proxime prosint aut obsint, iamque ipsum afficiant. Visu audituque rerum distantium aliquam notitiam adquirimus, et voluptates nonnumquam longe praestantiores: immo in ipsa rerum cognitione et sapientia paranda, eorum non levis est usus. Utiliter igitur omnes hi sensus a natura dati sunt, vel ad corpora tuenda, vel ad genus humanum conservandum, vel denique ad iucunde, sapienter, honesteque vivendum.

X I

Verum quae a sensibus imprimuntur notitiae, ordine quidem, sed non dignitate principem locum obtinent; ea amplior et nobilior scientiae nostrae accessio est, quam facit *Attentio*. Habet enim mens nostra facultatem, qua rei alicui perpendendae se se intensius applicat. Hac intensione fit, ut animus vividiorem rei ipsius sensationem aut perceptionem habeat.

X I I

Prima fronte videtur attentio necessario sequi inter plures obiectorum impressiones eam, quae ceteris fortior sit; idque sane propugnarunt Helvetius, Condillacus, aliique melioris notae Metaphysici: attamen non haec est attentionis proprietas. Etenim saepissime fit, ut attentionem ex obiecto quod adest sensibus, impressionemque in iis exercet removeamus, convertamusque ad revocatam absentis obiecti imaginem, cuius quidem impressio nequit esse validior, aut aequaliter valida.

XIII

Sicuti plura atque diversa uno tempore obiecta apprehendimus frequentissime, appetimusque, ita num pariter ad plura simul attendere aliquando concessum est? Id sane existimamus propositione strictim, et ad unguem perpensa. Secus mens nostra nec iudicare, nec reminisci, nec ideam compositam cogitatione complecti posset.

XIV

Sunt qui in fibrarum mechanismo se se reperisse putant aut animi attentionem, aut eius saltem attentionis imaginem. Robinetus plus ceteris hac in re sibi sumit audaciae. Is attentionem collocat in fibrae ipsius reactione, qua acceptae impulsioni resistit, et reactione animi, qua suae resistit modificationi. Perperam hic Auctor in medium vocat reactionem, quae a nulla substantia exercetur in affectiones suas, sed in alias substantias, quae actione sua illas excitant affectiones.

XV

Paulo acrior hostis, certe diligentior Carolus Bonnetus succedit. Consentit enim utique attentionem non esse reactionem animi in modificationes suas, sed contendit reactionem esse in sensiles corporis fibras externa rerum impressione perculsas, qua reactione cum fibrarum ipsarum motus augeatur, animi etiam sensatio augetur. Quamquam haec opinio minus antecedenti improbabilis videatur, quamquam praeclari nominis viri plausum dederint: ea nihilominus vitio suo non caret, et animum dotibus ornamentisque suis exuit. Reactio animi in fibras nequit aliud quidpiam gignere, nisi spontaneitatem, diuturnitatem, intensionem maiorem minoremve sensationum. Hinc vis illa non est attendendi facultas: eius idea ac notio huius notionem et ideam necessario non includit. Posset natura existere vi illa motrice praedita, attentione non praedita.

XVI

Si dum perceptioni alicui intentus est animus, perceptio alia mentem pariter alliciens suboriatur, tunc attentio ad utramque convertitur, et facit adeo, ut neu-

tra cesset, neque geminae simul confundantur. Itaque eodem tempore animus fit conscius perceptionem alteram supervenire, dum altera perseverat: in quo primus positus est *Successionis sensus*.

XVII

Ut animus modificationum suarum successionem percipiat, duo requiruntur: primo ut modificationes ipsae aut specie, aut intensitate, aut ordine immutentur: secundo ut in hac earum mutatione attentio defigatur: si prima conditio absit, animus ex defectu mutationis; si altera, ex defectu cognitionis sensum successionis habere nequit. Quamobrem si alterutra desit conditio, dies, anni, saecula viderentur tempusculo quovis breviora.

XVIII

Inter plures perceptiones, quarum successionem attendimus, non raro contrahitur vinculum quoddam, quo nimirum si una ex illis perceptionibus iterum animo obversetur, ceterae, absentibus licet earum obiectis, reproducuntur: in hoc sita est ea, quae dicitur *perceptionum Consociatio*.

XIX

Consociationis vinculum contrahitur etiam inter perceptiones sibi similes, quibus animus diverso licet tempore attentionem adhibuerit. Hinc duae distinguuntur consociationis leges; altera quae dicitur *similitudinis*; altera *simultaneitatis*. Ad hanc postremam duae leges aliae revocantur, quas vocant *contiguitatis*, et *causalitatis*; quatenus nempe consociantur perceptiones eorum obiectorum, quae animus attenderit vel tamquam loco contigua, vel tamquam alia ab aliis dependentia.

XX

Quotidie accidit, ut perceptiones praeteritis similes (absentibus licet earum obiectis) humana mens tum reproducat, tum eas praeteritis similes esse agnoscat, seu, ut aiunt, recognoscat. Operatio haec usitato vocabulo *Memoria* appellatur. Sunt qui memoriam a reminiscentia distinguant veluti *actum* a *potentia*. Sunt qui idearum recordationem *imaginationem* vocant, signorum vero re-

productionem *memoriam* appellant. At cum animi facultates sola phaenomenorum ope dignoscamus, ipsam memoriam ac reminiscentiam veluti rem unam atque indistinctam considerabimus. Quoniam vero diversam omnino significationem imaginationis vox nacta est apud omnes, memoriam ipsam ita commode partibimur, ut eam nunc *idearum*, nunc *signorum* esse dicamus.

X X I

Memoria non videtur praecise in mente collocanda, sed potius in ipsa physica cerebri structura. Quot et quanta experimenta evincunt comprobantque memoriam hancce multum ab aetate pendere, ab ipsa actuali affectione organorum, a quibusdam rebus seu circumstantiis, quae physicae omnino sunt? Subitus et fortuitus casus potest memoriam debilitare, et aliquando etiam exstinguere ac funditus delere. Annales Medici exemplis redundant, quae hanc veritatem confirmant heu nimium, et philosophum cogit ad humiliter demisseque de se sentiendum.

X X I I

Volumus tamen oblatam occasionem aliquam, quae iacentes ideas excitet: neque enim fortuito concursu coalescunt et nectuntur inter se, quae redire debent imagines, neque nutu atque arbitrio animi advolant obsequentes, sed alia ex alia et omnes inter se aptae colligataeque sunt admirabili quadam continuatione ac serie, et earum ultima involvitur implicaturque cum prima, sive quod acquisitae omnes fuerint in uno eodemque loco vel per idem tempus, sive quod quandam habeant inter se similitudinem atque analogiam.

X X I I I

Huc pervenire philosophice possumus; ultra progredi non possumus. Nonnulli tamen in Problemate memoriae enucleando enixe adlaborant, perinde ac si Cimmeriis e tenebris evocandus in lucem foret tenuissimus fibrarum cerebri nexus: qua spe inlecti Hoockius, Hartleyus, Bonnetus elaboratas hypotheses hac super re confinxere ingeniosas eas quidem elegantesque, sed adeo

chymerae similes et evanidae, ut nil nobis commendent praeter auctorum ingenia, vixque levem coniecturam faciant qua nihil incertius.

X X I V

Hac itaque tam obscura et caeca investigatione omissa praestat ad ea venire praesidia atque adiumenta, quae arripit e memoria cognitio. Atque in primis scientia haec nostra comprehenditur includiturque in idearum ambitu et circuitu, ideaeque omnes, paucissimis detractis, continentur intra fines memoriae. Memoria ergo maxime complectitur amplitudinem totam scientiae nostrae, et memoria sublata nullo pacto ab infante puero distaremus, qui vix lucem hancce qua fruimur, adspexerit.

X X V

Praeterea quum adveniente somno, quies membra pervadit, vigilat excubatque memoria, et praesidio sensuum identidem experrectorum adiuta colligit ex inhaerentibus vigiliae reliquiis varia somniorum spectacula, quae vigiliam saepius aemulantur aut ordine, aut vigore: et potest hic eo usque increscere, ut sequantur in corpore motus ii, quos vestigia mentem occupantia requirunt; quale genus frequens est videre in *Somnambulis*.

X X V I

At vero vehemens animique fixa meditatio unius pluriumve idearum quas excitavit memoria, qua fit, ut nequeat animus pro eo ac deberet internoscere obiecta praesentia sicuti vere sunt, haec, inquam, mentis contentio, ac firma meditatio efficit amentiam, quae nihil aliud videtur esse nisi prolixum et continuatum somnium. Inter somniantem igitur ac delirum hominem hoc unum discrimen interest, quod in primo expergefactis sensibus vis obiectorum praesentium superat vim idearum, quas renovat memoria; in secundo vis idearum, quas memoria reproducit, vel iugiter perdurat, vel, si interdum cessat (quo casu dicitur habere lucida intervalla) quantocius tamen instauratur.

X X V I I

A rerum imaginibus, quae animo obversantur, *Imaginatio* Plinio auctore nomen invenit; significatque quemcumque mentis actum, quo rei cuiusvis, quae facta sit, vel fieri possit, vel etiam fieri non possit, formam imaginemque concipimus. Nulla porro est imaginatio aut notio, cuius primordia simpliciora e sensibus mens non prius hauserit, expresserit, arripuerit.

X X V I I I.

Sunt qui arbitrantur tumultuaria fluidi nervei concitatione aliquando motus omnino novos in communi sensorio, novaque undequaque phantasmata posse in animo excitari. His assentiri non possumus. Nam phantasmata haec videntur nova, sicuti nova quotidie appellare consuevimus Poëtarum vel Pictorum figmenta; non quia ideae elementares, sed quia earum consociationes novae sunt.

X X I X

Imaginatio a quibusdam in communi sensorio motionibus pendet: hae vero pendent tum ab adquisita fibrarum dispositione, tum a caussis dispositionem hanc ipsam determinantibus. Quae omnia cum pro varietate hominum, vel pro hominis eiusdem aetate statuque diverso differant; imaginatio quoque in hominibus aliis, aut in aliis hominis eiusdem circumstantiis differat necesse est.

X X X

Memoria atque Imaginatio maximum adiumentum a signis mutuantur. Signum autem est perceptio perceptioni consociata adeo, ut praeter sui, alterius quoque rei notitiam inducat. Praesentis et praeteritae rei signum ope memoriae, signa futurae non sine imaginatione concipimus. Porro apprehensionem, attentionem, contemplationem, sensum successionis habere mens potest absque signorum praesidio, cum operationes sint, quae memoriam, et imaginationem praecedunt.

X X X I

Multiplex porro signorum genus est: alia enim a fortuita perceptionum consociatione pendent, et *acciden-*

talia dicuntur; alia ab ea perceptionum consociatione, quam certi quidam eventus constanti naturae lege connexi determinaverint, et *naturalia* vocantur; alia demum ab ea perceptionum consociatione, quae in animum ex industria fuerit inducta, et *artificiosa* sive *institutionis* nuncupantur.

X X X I I

Quamdiu quis non aliis signis praeter accidentalia, et naturalia uti potest, inquit clarissimus Draghettus, tamdiu ei circumscriptus est memoriae usus: nisi enim accidentalia signa, aut naturalia offerantur, nequit homo res significatas meminisse, et vicissim signorum meminisse nequit, nisi significata ultro offerantur. At statim atque signa ex institutione cum ideis coniunguntur, multiplicantur vincula, quorum ope ideae ad memoriam revocari possunt, quamquam illarum obiecta, aut obiectorum signa tam naturalia, quam accidentalia deficiant.

X X X I I I

Signa vel ad nostrum dumtaxat, vel ad aliorum etiam usum referuntur. Prima quidem memoriae praesertim prodesse diximus; altera vero communicationi idearum inserviunt; suntque cogitationum nostrarum indices, quorum praesidio tum nos nostras aliis, tum alii suas nobis cogitationes aperiunt. Cogitationes nostras signis aut transeuntibus, aut permanentibus communicamus. Ex transeuntibus *idioma*, ex permanentibus *scriptura* conficitur: scriptura enim est imago idiomatis, quemadmodum idioma imago est cogitationum.

X X X I V

Ad idioma quod attinet; clamores, gestus, saltus, aliique humani corporis status sunt internarum animi affectionum signa naturalia. His in artem conversis utuntur muti et surdi; immo etiam infantes, dum vocabulis gesticulationem, et vociferationem saepe adiungunt. Est haec naturalis, et propterea universalis hominum lingua.

X X X V

Signorum naturalium imitatione quaedam denuo ipsis affinia paulatim inventa sunt tanta quidem arte, ut prio-

rum cognitio in cognitionem posteriorum facile deduceret. Hinc elaboratum est *actionis* idioma olim a Romanis Pantomimis, ac Saltatoribus magnopere excultum, nuper in Gallia a clarissimo Abate de l'Epée ad apicem perfectionis, et ad iustas grammaticae leges pro surdis erudiendis feliciter evectum.

X X X V I

Quamquam articulatum idioma primi parentes humani generis a provido Conditore acceperint: nihilominus ob immanem infortuniorum seriem, quibus deinde homines obnoxii fuerunt, evenire quidem potuit; immo ex historiae monumentis evenisse constat, ut eorum nonnulli in sylva hac vel illac palantes infantem sobolem absque educatione neglectam relinquerent: quae quidem succrescens sylvestrium familiarum, et alicuius etiam populi initium faceret. Porro apud eiusmodi generationes naturale idioma primum, tum artificiosum non modo gestuum, sed etiam sonorum vocabulorumque enasci potuit, lente quidem pro diversa hominum loquentium capacitate et indigentia, eoque semper ordine, ut nullum de novo signum institueretur, nisi signis iam cognitis, vel rebus significandis esset analogum.

X X X V I I

Prima illa humani generis lingua permansit usque ad linguarum divisionem divinitus immissam (sicuti videre licet Geneseos cap. 40). Sed ipsa subinde hominum disgregatio effecit, ut inter populos climate, temperatione, educatione, moribus, legibusque diversos, quemadmodum ingens idearum et cupiditatum discrimen erat, ita ingens oriretur idiomatum articulatorum varietas.

X X X V I I I

Postquam ea signa adinventa fuere, quibus inter praesentes idearum significatio fieret, illud quoque signorum excogitatum est genus, quo vel inter absentes idearum quasi societas institueretur. Itaque ad scripturam ventum est. Quod signi genus eadem ferme ratione inventum perfectumque, qua inventae, auctaeque numero voces fuere. Quare primum invecta scribendi ars per ima-

gines, quibus varii gestus adiungerentur. Aegyptiorum praecipue consuetudo haec fuit, apud quos obelisci huiusmodi imaginibus referti in usu erant. Deinde naturalibus imaginibus adiectae conventionis imagines, factaeque arbitratu hominum figurae. Tandem illa adinventa scripturae ratio est, quae articulatas voces repraesentat, quaeque apud nos Europaeos hodie est familiarissima.

XXXIX

Dictum est memoriam et imaginationem ut se exerant latius, atque uberius exerceantur, maximum ab articulatorum signorum usu adiumentum accipere. Id porro de libera etiam attentione affirmandum est. Ut enim homo attentionis suae compos evadat ab articulato idiomate plurimum adiuvatur. Articulatum idioma quoniam infinitis prope modis facile variari potest, idcirco omnium idearum varietati designandae aptissimum est. Praeterea articulationum ipsarum brevitas, et distinctio facit, ut ingens vocabulorum copia absque confusione retineri memoria possit.

XL

Cum animus attentionis suae ita compos evadit, ut eam ad haec potius quam illa obiecta, ad has potius quam illas obiecti partes ordinate dirigat, tunc *reflectere* dicitur eo quod deliberata animi attentio ab una ad alteram ideam instar luminis reflectatur. Attentio deliberata dirigi potest vel ad externarum rerum apprehensiones, vel ad ipsius animi operationes. Hinc duplex distinguitur reflexio: altera *exterior*, *interior* altera. Reflexio exterior scientiam corporum, interior scientiam animorum constituit.

XLI

Hanc ob rem cum primum aliqua species aliis naturali adstricta vinculo cohaesit, et cum his in unam coivit *concretam* et *compositam* ideam, in hanc animus intendens a toto eam cumulo dividere potest ac veluti abducere: ex quo fit ut cognatis circum speciebus languescentibus et propemodum extinctis ea sola vigeat prosiliatque victrix, quam ipse reflexionis motus agitat ad *abstractam* ideam *sensibilem* efformandam.

X L I I

Quin etiam intellectu simul in multis defixo, ut ait acutus quidam et recentior Philosophus, animus rerum nexus *relationesque* contemplatur, ut ex iis notiones eliciat ac veluti exprimat mera confingens rationis simulacra: quae postea suo quaeque nomine signata, ac *reflexionis* ope illustrata, et pro modo ac facultate reflectendi secreta ab admixtione sensibili speculatur atque considerat. Aliquid enim sensibile cum iis admixtum superest semper tum ob nomen adnexum, tum propter ideas a sensibus depromptas, quibus notiones sustinentur, et quasi fulciuntur oblique, iisque detractis nullo modo possent existere.

X L I I I

Specimen vero notionum harum qui requirat, is nullo negotio sumere illud poterit ex cognitionibus, queis *identitatem diversitatemque* rerum deprehendimus, et *caussas* et *effectus*, et *durationem*, seu *tempus*, et *bonum* ac *malum*, et *virtutem* ac *vitium*: quae omnes paulo ante exposita via pervadunt in animum, et prae ceteris ideis a sensibus remotae videntut et abstractae sola intelligentia atque ratione comprehensae.

X L I V

Sed ex quo mentis aciem ad plura reflectendo dirigimus novum praeterea notionum genus animo se se offert, quae sola ratione intellectae cernuntur animo. Nempe potest reflexio non ad ipsam rerum uniformitatem intelligentiae aciem convertere, sed in illis ipsis proprietatibus solum immorari, in quibus similitudo fundatur. Hae si abstrahuntur ab individuis, quorum sunt partes; si propter mutuam identitatem veluti una res accipiuntur, *universalem* ideam constituunt, quam modo *Genus* vocant, modo *Speciem*, modo *Differentiam*, modo cetera Porphyrii *Praedicabilia*, ubi nihil mirabere fortasse praeter barbarorum nominum foeditatem.

X L V

His omnibus rite constitutis iam tacet illa Cartesianorum commentitia fabula, quam contentione tanta de-

fendunt usque ad ravim aientes in animo esse notiones aliquas latentes et reconditas ab ipsa natura insculptas insitasque omnem ante externum et adventitium pulsum animo impressas. Si enim Sensus et Reflexio mentis per se sufficiunt ad totum quantuscumque sit humanarum cognitionum campum vastissimum serendum ac veluti foecundandum, eccur istas Cartesianas ideas innatas admittamus, queis nota saltim inanitatis erit inurenda?

X L V I

Reflexio dupliciter promovet *Compositionem*, ut libere nostris inter nos vocabulis utamur, quod Quintiliano probatur. Si enim reflexio cum imaginatione operetur et agat, tunc ex diversis sensibilium individuorum differentiis atque speciebus ideam unam componit et conglutinat, veluti cum ex dissimilium belluarum acervo differentiisque Pictor ex industria belluam unam exprimit confingitque. Sin autem reflexio cum abstractione coniungatur, tunc ex specificis vel genericis rerum differentiis notionem unam coagmentat atque componit, ut cum ex pluribus ideis abstractis notionem *mendacii* vel *avaritiae* conficimus, et quasi conglutinamus atque conferimus in unum.

X L V I I

Compositioni ex diverso respondet opponiturve *decompositio* seu dissolutio, cum videlicet reflexio ideam compositam ope *distinctionis* in componentes ideas reducit donec ad simplices deveniatur: quod alio etiam nomine *resolutio* vel *analysis* adpellatur.

X L V I I I

A primis ipsis animi operationibus coepit emergere implicita aliqua comparatio, implicitumque iudicium. Statim vero atque oboritur reflexio utrumque operatur explicite, idest attentio deliberata inter propositos comparationis terminos versatur sicuti oportet, ut eorum convenientia, vel discrepantia dilucide innotescat.

X L I X

Etsi compositae persaepe sunt ideae, quarum concordia vel pugna ope comparationis adparet, semper ta-

men simplex est assensus vel dissensus mentis, quo iudicium ipsum efficitur. Detecta autem pugna ista idearum sive concordia mens alterutrum iudicare nequit quin simul aliqua cum delectatione in hoc iudicio conquiescat.

L

Ex consideratione seu *reflexione* iudicium; ex vocabulis iudicium omnino exprimentibus enascitur *propositio*. Aptissimus hic locus ac maxime proprius olim credebatur, in quo de inutilibus plerisque disserendum forent; sed omnia tempus habent. Nobis unum illud adnotare sat est, propositionem quamlibet veram, aut falsam esse prout rebus circa quas versatur, efferturque consentiens est et consona, vel ab iis dissona atque dissentiens.

L I

A iudiciis invicem collatis *discursus*, quem *ratiocinationem* Latini dicunt, exoritur. Finitur autem vis animorum, quae posita in antecedentibus iudiciis duarum perceptionum comparatione cum tertia, novum iudicium infert praemissae comparationi consentaneum. Quod si discursus vocabulis exprimatur, *argumentatio* dicitur.

L I I

Ad ratiocinandum duo requiruntur *sagacitas* ac *soliditas mentis*; vis nempe medias ideas inveniendi, et vis novi aliquid ex iisdem concludendi. Qui sagacitate destituitur, is aequiparandus artifici, cui neque materia neque instrumenta suppetunt. Qui vero mentis soliditate caret, est imperiti instar artificis, qui quamquam materia et instrumentis abundet, nihilominus iisdem uti non potest. Ubi hae igitur dotes deficiunt, ne ratiocinatio quidem potest existere.

L I I I

Contendunt aliqui absque notionum et principiorum generalium subsidio non constare ratiocinationem. Hinc pervulgata in Scholis axiomata: *dictum de omni*, *dictum de nullo*, quasi inferri non posset proprietatem aliquam individuo alicui convenire, vel non convenire, nisi antea sciamus, quaenam generi, aut speciei attributa conve-

niant. Id autem quantum a veritate abhorreat, luculenter ostendunt quaedam singularibus propositionibus ratiocinationes ab hominibus, vel ab infantibus, vel a rudioribus compositae.

LIV

Non aliam ob caussam ratiocinatione nos utimur nisi ad indagandam eruendamque veritatem e tenebris quae vel rerum existentiam respicit, vel earum proprietates relationesve: et veritatem tum dicimur adsequi ac nosse cum de propositae rei existentia, proprietatibus, relationibus certiores facti sumus. Porro veritates aliae primo obtutu se se manifestant ac produnt, aliae nonnisi ratiocinando: illarum cognitio vocatur *immediata*, vel *intuitiva*; cognitio posteriorum *mediata* seu *demonstrativa*.

LV

Non eodem tamen gradu cognitionis possumus in omni re veritatem attingere. Nonnullis in rebus certitudo *absoluta* est seu *metaphysica*, quae vocari potest *evidentia*; in aliis *physica* tantum; in aliis tantummodo *moralis*; et in aliquibus etiam sola illucescit *probabilitas* maior minorve pro re nata; et in pluribus etiam nihil nisi *dubium* superest, aut absoluta *ignoratio*.

LVI

Ad hanc dispiciendam firmandamque certitudinem absolutam sive evidentiam lapidis instar lydii esto *Principium contradictionis*. Certum enim absolute vocamus omne et solum id, cuius oppositum apertam contradictionem implicat: ex quo fit *absolute impossibile*. In hoc nixi principio certitudinem habemus *absolutam*, et, ut aiunt, *immediatam* de existentia illius *Entis*, quod in nobis cogitat, quum *immediate* sciamus, cogitare nos, et repugnantia sint haec duo *operari* et *non existere*. Quod autem spectat ad existentiam *corporum*, eorumque proprietates physicas, praesto nobis non est nisi vel physica certitudo cum id rerum genus deprehendimus ope sensuum, vel moralis cum aliquid per analogiam, vel alieno testimonio cognoscimus.

L V I I

Amplus ac ditissimus thesaurus est *Analogia*, unde Philosophus magnam atque uberem vim argumentorum capit ad omnes usus humanae vitae seu velit tamquam ex aliqua specula futuros praevidere casus Reipublicae, vel hominis aegrotantis, atque alterutrius morbis curationem adhibere opportunam; seu malit novis metaphoris, verbis, nominibusque Grammaticae fines amplificare et extendere; seu hypotheses confingendo solers atque industrius coniector aveat naturae caussas viresque perpendere; seu tandem historica spatia percupiat ingredi, et praeterita facta narrando ad sua tempora, ad mores, ad vitae totius magisterium atque rationem traducere; est enim, ut inquit Cicero de Orat.: " Historia te-
" stis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra
" vitae, nuncia vetustatis ".

L V I I I

Omnis quae historicis narrationibus debetur assensio, teste Bonneto, a sola analogia ducitur. Eosdem enim oculos et aures, easdem animorum propensiones, uno verbo eadem *essentialia* nostri similibus tribuimus. Hinc putamus eos idem in re facti, de qua testantur, praestitisse, quod nos ipsi, si datum per aetatem locumque foret, fecissemus.

L I X

Fides humana quamvis saepe lubrica, potest tamen plenam attingere certitudinem; ubi constat testantes decipi non potuisse, neque alios decipere voluisse, ita ut nec laboret eorum scientia, nec fides sive veracitas.

L X

De Testium scientia saepe ex negotii natura constabit, deque fide satis, si nullo emolumento, nullisque illecebris invitati fuerint ad testandum; multoque magis ubi suo gravi cum periculo aut damno testati sint; neque sperare poterant se aliis hoc persuasuros, si modo noverant ipsi rem aliter se habere quam dicunt.

L X I

Testimonium nulli fraudis suspicioni aut inscitiae obnoxium, fidem facit, primo rebus gestis non alia ratione cognoscendis; secundo etiam iis, quae rebus ante a nobis observatis sunt prorsus dissimiles; siquidem nulla sunt argumenta interna, quae fidem evertant; tertio rebus etiam miris et omni nostrae experientiae aut observationi contrariis, si modo versetur testimonium in materia et adiunctis, quae sint a rebus nostris disiunctissima maximeque diversa.

L X I I

Hactenus de animi viribus et operationibus egimus, quae variis ideis et cognitionibus mentem exornant; omnes illae operationes proficiscuntur ab ea animi facultate, quam *intellectum* vocare solemus: nunc quaedam delibabimus de altera animi potentia, quae unum prae altero eligit, quaeque *voluntas* communiter appellatur; his quippe duabus facultatibus omnis animi virtus atque praestantia continetur.

L X I I I

Quum natura hominem organis summe delicatis instruxerit, et obnoxium fecerit perpetuis rerum, quae nos circumsepiunt impressionibus, facile nimis perturbari posset ac destrui, nisi modus superesset aliquis inter multiplices obiectorum appulsus secernendi utiles a perniciosis. Modus iste nobis provide largitus est *sensus*, vulgo *sensibilitas*. Si qua impressio vel dilacerans fibras, vel distrahens, vel delassans eo tendat, ut bonam texturam harmoniamque perturbet, illico *doloris* sensus excubat vigilatque ad praecavendum in tempore. Contra si qua alia sedatior impressio apta est ad nos blande placideque seu reficiendos, seu conservandos, tum sensibilitas diverso nos afficit modo ac sensu, cui nomen damus *voluptatis*.

L X I V

Verum sensus iste vel *doloris* vel *voluptatis* parum hominem iuvaret nisi praesto huic esset modus aliquis internoscendi etiam obiecta unde impressiones manant seu

doloriferae, seu voluptuariae. Ad summum sensationes innocentes discriminaret et noxias, sed neque has fugere, neque illas posset adquirere. Praeter ergo facultatem intus sentiendi effectus externarum impressionum ei facultas quoque adtributa est obiecta cognoscendi, unde impressiones oriuntur.

LXV

Sed ne isthaec quidem multum profutura esset, si remoto obiecto nulla permaneret huius et effectuum idea vel species. Ad intelligendum quaenam obiecta complecti oporteret, quaenam effugere necessum esset, ut semper et illico impressiones ipsas praesentiremus, quae tamen saepe possent esse tales tamque subitae ac rapidae, ut nullum relinquerent spatium ad deliberandum. En itaque quid perficiat opus naturae, *Memoriam* dico, cuius ope subeunt animo praeteritae impressiones imaginesque obiectorum eorum, unde impressiones ipsae coortae sunt, et hanc ob caussam etsi obiecta praesentia non sint, per impressa ac nota vestigia et signa possumus ea dispicere, et pro re nata vel fugere vel amplecti.

LXVI

Porro obiecta quorum impressiones eo spectant, ut vel hominem conservent vel magis magisque perficiant, *Bona* dicuntur; et quae ex diverso eo tendunt, ut vel deteriorem hominis conditionem faciant, vel eum labefactent omnino ac destruant, *Mala* vocitantur. Ad *Bona* tamen et *Mala* promiscue revocantur etiam impressiones quotlibet vel utiles vel perniciosae, quae per obiecta fiunt, nec non voluptas ipsa vel dolor, qui ex iisdem impressionibus sequitur. Qua quidem facta substitutione mirabile dictu est, in quot errores turpissime incidamus, ipsamet media finium loco adhibentes. Aliquando etiam bona nuncupantur, quae nullam utilitatem, sed solam voluptatem afferunt. Erunt igitur bona omnia alia honesta, alia utilia, alia demum voluptuosa.

LXVII

Quidquid autem a nobis respicitur sub aliqua specie et imagine *Boni*, nos impetu quodam naturali rapit ad

se; contraque quidquid uti *malum* consideramus nos ab se penitus abalienat ac removet; atque isthaec propensio naturalis ad bonum, unde fluit horror et fuga mali, humanarum affectionum omnium fundamentum est ac radix.

LXVIII

Affectiones istae necessariae sunt ad bonum seu physicum statum seu moralem. Homo ἀπαθὴς chymaera Medicis est. Graves et mortiferi languores, quibus subiiceretur, organorum inertia ac sopor, et ignava desidia, omnes denique totius naturalis oeconomiae leges id evincunt. Chymaera idem homo est Metaphysicis. Affectiones deme; unde vires arripiemus impetumque, qui nos ad *bonum* incitet, et avertat a *malo*? Poterit ne ullo modo *Amor* ille consistere erga *nos ipsos*, cuius eae simplices *modificationes* dicuntur et sunt? Minime sane si quid video. Cur ergo somniarunt Stoïci, ac multo post Lutherus, Calvinus, Witringa, Buddaeus aientes, natura sua pravas eas esse ac vituperabiles?

LXIX

Etsi tamen tales ipsae per se non sunt, fieri potest, ut tales evadant simul atque ad illaudabilem gradum, et ad finem obiectumque detorqueantur homine non dignum. Sub hoc adspectu nomine singulari vocantur communiter *Passiones*, quarum historia dici fortasse posset historia et complexio malorum ferme omnium, in quae praeceps ruere visa est humanitas.

LXX

Quaelibet *passio* est desiderium dominans, cuius obiectum saepe saepius ita necessarium est ad felicitatem nostram, ut sine illo vitam vivere nullo modo posse videamur. Qui *passiones* dixerunt esse motus animi violentos, quique eas cum procellis tempestatibusque compararunt ii parum felices ab analysi fuerunt: effectus enim descripsere, non naturam et caussam.

LXXI

At enim quot numero *passiones* sunt? Hic haerere me fateor nihilque respondere me posse quod probem.

Dudum exspecto Metaphysicum solertissimum, qui mihi numerum huncce ob oculos ponat. Tortuoso in labyrintho versamur, et quum timeant omnes ne viam exeundi reperiant, periculosum locum exstrinsecus adspiciunt, non etiam audent ad eius intimos sinus atque recessus pervadere.

L X X I I

Divus Augustinus credidit *passiones* omnes ad unam hancce revocari, idest ad *Amorem*, atque idem hoc innuimus et nos, ipsaque analysis et quasi partium enumeratio videtur confirmare Sancti Doctoris sententiam et nostram. Nihilo tamen secius nitidioris intelligentiae gratia duas ego statuam, quae praecipuae sunt *Amorem*, et *Odium*. Hinc facilius pronoque fluunt alveo ceterae omnes nobis cognitae atque perspectae, quas idcirco vocare possumus *Subalternas*. In earum vero classe non ponimus *Admirationem*, quam ceu primam Carthesius nominavit: necdum enim didicimus an revera haec sit inter *passiones* adnumeranda.

L X X I I I

Ex proposita finitione palam fieret eas esse *desiderium dominans*, ut diximus, vel saltem aliquas desideriorum modificationes, omnesque pariter et singulas oriri ac descendere a duabus praecipuis, quas nominavimus, *Amore*, atque *Odio*. Sed quantum materia isthaec ad eruditionem necessaria est, tantundem ineptam esse credimus, quae hoc loco vocetur in controversiam.

L X X I V

Facultas animi, qua aliquid vel eligimus, vel reiicimus, *Voluntas* appellatur. Nihil porro eligit animus nisi speciem boni praeseferat, nihil respuit nisi praeseferat speciem mali. Sed bonorum atque malorum genera multa sunt, multi gradus, ut diximus. Praeterea plura sunt, quae cum bona exstrinsecus ac prima fronte videantur, intrinsece sunt mala, aut quae momentanea alliciunt voluptate, ut gravissimos in posterum tempus dolores pariant. Haec *falsa bona* dicuntur. Falsa itidem mala dicuntur, quae non eum revera dolorem creant, quem pa-

ritura putantur, aut brevi quidem dolore solidam deinceps ac veram afferunt voluptatem.

LXXV

Antequam homo caussas agnoscit, ex quibus profluunt voluptas et dolor, inquit clarissimus Soave, vix ille voluntatem exercet. Gaudet voluptate, dolore tristatur, at passive tantum, ut ita dicam, se gerit, quin aliquid aut eligat, aut reiiciat. Cum primum novit, quae obiecta dolorem pariant, quae voluptatem, iam voluntas se se exercere incipit: iam quippe ab illis refugit animus, atque haec desiderat. Priusquam autem didicerit, quae vera sint bona aut falsa, quique diversi bonorum atque malorum gradus, caeca propemodum utitur voluntate: ea confestim amplectitur, quae bona videntur, ea fugit, quae mala arbitratur, nullo rerum examine, nulla ponderatione praemissa.

LXXVI

At postquam experientia atque reflexione vera bona a falsis secernere, ac varios ipsorum gradus perspicere assuevit, iam voluntatem ipsam reflexio dirigere aggreditur. Hinc non modo si duo bona obiiciantur, eorum maius amplectitur, si duo mala gravius devitat; sed etiam saepe fit, ut praesens bonum reiiciat, unde aliquid mali sibi deinceps venturum praenoscat; praesens malum aequo animo excipiat, unde aliquid boni in posterum sibi polliceatur.

LXXVII

Hic vero conflictus quidam exoritur rationem inter (eam videlicet facultatem, quae postquam reflexione res comparaverit, et quid cuique aut boni insit aut mali mature perpenderit, voluntati indicat, ut ita dicam, quae recte eligenda, quae fugienda sint) inter rationem, inquam, et inordinatas animi permotiones. Hae saepe numero voluntatem a rationis praescripto avocant, saepe eam adigunt, aut falsa bona complecti, quae ratio fugienda esse ostendit, aut falsa mala respuere, quae ratio ferenda esse indicat, ut consecutura bona nanciscatur.

LXXVIII

In hoc conflictu voluntas saepe haeret anceps ac dubia, donec ad alterutram tandem partem se se inclinat. Quamdiu autem dubitat, quamdiu hinc inde momenta librat, aequam in se potestatem sentit alterutrius rei deligendae: dum etiam alterutram amplectitur, eandem in se potestatem sentit contrariam amplectendi. Haec potestas ea est, quae *libertas* dicitur.

L X X I X

Lockius solam agendi potestatem libertatis nomine designandam esse contendit. Sed duplex libertas est distinguenda; altera, quam Scholastici *libertatem a coactione*, altera, quam dicunt *libertatem a necessitate*. Liber est quispiam a coactione, cum aliquid sponte agit, quin ab ullo obstringatur. Liber est a necessitate cum ad aliquid agendum se se sponte determinat, quin ab ulla caussa necessaria impellatur. Prima libertatis specie homo caret saepissime; secunda caret quotiescumque vehementes atque inopinati aut corporis aut animi motus, et rationis usum, et voluntatis deliberationem praeveniunt.

L X X X

Sunt qui a necessitate numquam liberum esse hominem contendunt. Aiunt enim voluntatem nihil umquam eligere nisi caussa aliqua moveatur. Hoc quidem recte. Sed si caussas omnes scrutemur, nullam profecto inveniemus, quae voluntatem necessario atque ineluctabiliter moveat. Quandiu igitur voluntati facultas inest, qua incitamentis, quibus allicitur parere possit aut obsistere, ea libera dicenda est.

L X X X I

Porro animus humanus libertate praeditus concipi nequit, quin simul materiae cuiuslibet expers concipiatur. Habet enim materies insitas sibi vires, a quibus necessario ad unum determinatur. Epicurei, qui sensum, cogitationem, appetitum, voluntatem intentione quadam, ac temperatione corporis varios in eo motus ciente fieri dixerunt, rem attulerunt subtilem potius, quam veram. " Quod si fingamus (inquit Leibnitius in *Act. Lipsiens.*

„ *Tom. vII Supplem.*) dari machinam, quae per strú-
„ cturam cogitet, sentiat, percipiat, non obstat, quomi-
„ nus iisdem proportionibus retentis, sub maiori mole
„ construi concipiatur, ita ut in eam aditus nobis pa-
„ teat, tamquam in molendinum. Hoc supposito intus ni-
„ hil deprehendemus, nisi partes se mutuo impellentes,
„ nec quidquam aliud, per quod perceptio explicari
„ queat. Hoc itaque in substantia simplici, non in ma-
„ china quaerendum „.

LXXXII

Simplicitas, essentialis percipiendi vis, et repugnantia attributorum mentis cum materiae attributis sunt genuinum eiusdem immortalitatis fundamentum. Hoc ipsum exornare aut mentem concipiendo veluti germen indestructibile, cuius cerebrum non sit nisi theca, ac veluti involucrum, aut definiendo eandem aethereo corpori constanter sociari, et novam ducere post corporis obitum animalem vitam, aliaque huiusmodi imaginari, qualia Bonnetus toto libro suo Palingenesiae, non est scientiam perficere, sed potius imaginationis fines pervertere. Praeluxerat Bonneto Leibnitius, qui eandem habet sententiam in *Epist. ad Vangerum*; sed cum fortasse animadverteret suam opinionem non gravibus seriisque rebus adiudicandam esse, amico exponit per iocum, et inquit:
„ Non tantum est anima perennis, sed etiam aliquod
„ animal semper superest, quemadmodum eruca, et pa-
„ pilio. Habet igitur hoc omnis naturae machina, ut
„ numquam sit plene destructibilis, cum crasso tegumen-
„ to utcumque dissipato, semper machinula nondum de-
„ structa subsit instar vestium Arlequini Comici, cui
„ post multas tunicas exutas, semper adhuc nova supe-
„ rerat „.

LXXXIII

Immortalitas porro hominis mirifice confirmatur ex Dei notione, idest immensi illius et infiniti, nullo temporum spatio, nulla locorum regione circumscripti Entis, quod esse vere dicitur universi custos rectorque. Ad huius supremae, praepotentis, sapientis, ac praestantissi-

mae mentis existentiam populorum consensus, ordo simul atque vicissitudo rerum adspectabilium, natura tota nos ducit. Cetera quidem opinionum commenta delet dies, naturae iudicia confirmat; confirmavit autem in omnium animis Supremi Numinis notionem, ut haec temporis diuturnitate non extabuerit, sed inveterata sit potius, et longe lateque diffusa. Quis porro quum viderit hanc Mundi compagem, hunc in rebus maximis minimisque ordinem constantem, tot animalium genera, quibus terrarum scatet Orbis, quorumque nullum est, quod non humanam artem omnem longe superet; hoc vero hominum genus, quod ob suam ipsius perfectionem, et egregiam naturam admirari necesse est; has denique innumerabiles omnium rerum vires, multis modis sibi contrarias, et apte tamen usque consistentes atque constantes, quis, inquam, neget ullum esse tanti operis architectum, eaque omnia casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio nullaque cogitatione assequi possumus?



Data cuilibet post tertium argumentandi facultate.

